



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Henōtikon siue Pacificatorivm Dissecti Belgii

Afhakker, Aegidius

Vrsellis, 1618

Capvt III. Conditiones quæ huic Indici sunt necessariae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64709)

uini pelle latentem internoſcet? Si extraordinariam Dei potentiam nuſquam promiſſam, nuſquam apparentem in remedium non traxeris, utique iudicio tali inter contendentes opus eſt, quo falſitate dānata, veritas auctoritate legitima comprobetur.

CAPVT III.

Conditiones qua huic Iudici ſunt neceſſarie.

Cum igitur eum in finem Iudice opus ſit in Eccleſia, ut lites circa Religionis negotia ortas definitiua valeat ſententia terminare: quo facilius, quis hic ſit Iudex, innotefcat, conditiones quaſdam eius ad ferendū hoc iudicium requiſitas oportet inſpicere. Harum igitur hæc ſtatuatur prima.

*Conditio
Prima.*

I. Iudex controuerſiarum fidei & morum habere debet auctoritatem Doctōris ſuper fideles tanquam ſuos diſcipulos. Comprehendit Dominus noſter hanc auctoritatem ſub ſuauiori vocabulo *paſtoris*, quo ſemetipſum non ſemel appellauit, *Ioan. 10.* licet à diſcipulis communiter *Rabbi*. id eſt, *Magiſter* ſeu *Doctōr* vocaretur. Quod autem hæc *docendi* ſeu *ſana Doctrinā* fideles *paſcendi* auctoritas controuerſiarum Iudici neceſſaria, ex eo probatur, quod munus illius ſit determinare verum, (ſicut pro aliis communiter tribunalibus determinatur ius ſeu iuſtum) idq; fidelibus tenendū cum auctori-

proponere. In hisce autem Doctoris seu Magistri erga discipulos officium consistit.

Conditio

secunda

II. Iudex controuersiarum fidei debet certò cognoscere veritatem, quæ ad eius iudicium à dubio vindicanda defertur: vel certè diuinæ virtutis tali opus est concursu, vt licet aliud ipse iudex intendat, pro veritate tamen (quod Caiphæ de Christo Domino sententiã dicenti contigit) litem determinet. Patet huius conditionis necessitas: nam alioqui ipse qui fidelibus datus esset conciliator pacis & vnitatis, per errorem pro salutari pabulo venenum ipsis nonnunquam porrigeret, atque ita totum ouile Christi ipse vt Lupus disperderet, dum sanas inde oues conaretur eiicere, morbo verò infectas inibi fouere.

Io. II. 50

III. Debet quoque Iudex controuersiarum habere auctoritatem partes contendentes obligandi vt sententiam suam recipiant ac sequantur; idq; absolutè, nò autè sub hac conditione: *si partibus contendentibus lata sententia iusta videatur aut veritati conformis.* Intellegitur hæc conditio præcipuè de sententia extrema, à qua hic inter homines non datur ad aliud tribunal appellatio. Patet huius conditionis necessitas: nam sine hac auctoritate nullum omnino iudicium lites potest terminare; & si partibus liceret iudicis sententiam examinare; atque, si eam probare non possent contemnere; iam suum iudicem iudicio suo

Conditio

tertia.

V

fabij-

subijcerent, quod est rerum naturas subuerte-
re & lites ac bella in infinitum protrahere.
mo iudicum omnium, id est, regum, Princi-
pum & Magistratum auctoritatem destrue-
re, dominationem quidem spernere, maiestatem
autem blasphemare. Ex hac conditione sequi-
tur quarta.

Iud.

*Conditio
quarta.*

IV. Debet quoque hic iudex habere po-
testatem partes citandi, continendi, atque ad
contumaces & latæ sententiæ acquiescere no-
lentes, proposita vel inflictæ pœna, ad obse-
quium compellendi. Patet tùm quia hoc ad
terminandas lites est necessarium: tùm quia
hæc potestas omni iudicio decisiuo, quod sen-
tentiæ suæ executionem curare debet, est an-
nexa.

V. Iudex controuersiarum fidei debet
iudicando esse infallibilis, ita vt partibus liti-
gantibus non sit opus de veritate latæ senten-
tiæ dubitare. Hæc conditio vel maximè eorum
necessaria. Nam si errare ipse aut ex malitia
falsum posset determinare, iam secure partes
litigantes sententiæ eius acquiescere non pos-
sent, sed semper suo eam iudicio aut alterius
cogerentur examinare, ne fortè aliquis lateris
error aut falsitas: cū enim rarò is qui in iudicio
causa cadit, iustam esse sententiam fateatur,
lites per huiusmodi fallibilem iudicem
vix vniquam possent terminari. Nam licet in
iudicijs facti & politicis tribunalibus, latæ ex-

tremâ sententia etiam falsâ, partes teneantur
 etiam in conscientia sententiæ se conformare
 & à lite desistere; hoc ideo est, quia pars con-
 demnata, isthac patiēter toleratâ iniuriâ, nul-
 lum inde spiritualis boni patitur dispendi-
 um; In hoc autem controversiarum fidei iudi-
 cio falsitati cogeretur assensum præstare, atq;
 adeo à doctrina & mādatis Dei recedere, quod *Lucæ 21.*
 ne in minimo quidem puncto vllus salva cō- *19.*
 scientia potest. Sicut enim in *patientia posside-*
mus animas nostras, ita sine recta fide impossibile est
placere Deo. *Hebr. 11. 6*

Sexta posset addi conditio de *visibilitate*
 Iudicis; contra illos qui spiritum quendam
 priuatum inuisibilem seu vnctionem internâ
 pro hoc iudicio putant sufficere. Sed quia hæc
 conditio satis consequitur euidenter ex præ-
 cedentibus, & infra. *cap. quinto* priuatus ille
 Spiritus à nobis sit refutandus, nunc de
 visibilitate nihil vrgemus
 amplius.

☞☞☞ (:o:) ☞☞☞

V 2

CAPVT